

» Mantuano, auctoritate apostolica in perpetuum valitura constitu-  
» tione omnes qualitercumque appellantes a Romano pontifice, ca-  
» nonum transgressores et illos ex eis qui ad non indictum nec  
» congregatum concilium appellare praesumerent, aliud caput in  
» Ecclesia Dei ac imaginarium, majus et sublimius tribunal con-  
» fingentes contra apostolum dicentem: Fundamentum aliud nemo  
» potest ponere praeter id quod Christus instituit; hujus sanctae  
» sedis primatum negare, Ecclesiae unitatem dividere, non unum  
» solum privilegium eidem Ecclesiae adimere, sed praecipuam et  
» principalem dictae sedis auctoritatem quam et vox Christi et  
» majorum traditio et canonum fulsit auctoritas, penitus subvertere  
» non verentur, prae ceteris detestabiliores esse: et eorum appel-  
» lationes hujusmodi, quacumque occasione interponerentur, non  
» solum irritas et inanes, sed fraudulentas et sacrilegas et haereti-  
» cas esse declaravit, et statuit nulli cujuscumque status, ordinis  
» vel conditionis existere, licere deinceps pro quacumque causa a  
» sede apostolica praesertim sub hoc praetextu nominis futuri con-  
» cilli appellare, aut hujus appellatione uti et inniti, sub excom-  
» municationis latae sententiae poena, a qua a nemine absolvi pos-  
» sit, praeter quam a Romano pontifice, nisi in mortis articulo  
» constitutus: et voluit omnes adhaerentes appellationibus eisdem,  
» procuratores quoque, syndicos et alio quoslibet alieno nomine  
» appellantes, simili sententiae subjacere: notarios vero et scriben-  
» tes, dictantes et testificantes in eis, aut consilium praestantes vel  
» favorem, ultra anathematis poenam, perpetua notari infamia, et  
» advocationis, procurationis et notariatus officii fore privatos: et  
» si in hujusmodi excommunicationis sententia per annum persi-  
» sterent, tamquam de haeresi et schismate suspectos ab omnibus  
» haberi et reputari, et contra eos ut tales juxta canonum praece-  
» pta procedi, prout in eadem constitutione latius continetur. Ex  
» quibus manifeste infertur quod hujusmodi eorundem venetorum  
» appellatio ex eo quia a Romano pontifice non appellatur, ipso facto  
» nulla; et quia ad fictum et imaginarium concilium interposita